

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DO  
mini & Concordiae comitis, Heroicū carmen de my-  
sterijs Dominicæ Crucis nuper in Germani-  
am delapsis, ad Maximilianū Augu-  
stū Romanorū Regem.

TITVLVS STAVROSTICHOS.

Ermanæ nuper delapsa insignia terræ  
Principis ætherij, canerem ter maxime Cæsar,  
Si me p̄cellens rerum mirandaq; moles  
Exiguo sineret residem de pectore vocem  
Promere, sed vincet pietas, audacia vincet.

Abscedat Bromius, spumoso Cypria ponto  
Dispereat, procul hinc absit Thymbræus Apollo  
Fabula Pieridum, procul hinc procul este prophani,  
Namq; salutiferi canimus miracula regis  
Væsano figmenta deum qui dispulit orbe.  
Christe faue cœptis, tuq; o sanctissima virgo  
Empyrei regina poli, genitrixq; tonantis,  
Dirige fluctuagam ventosa per æquora cymbam.

Postq; flammifero præpes descendit ab axe  
Summa dei soboles, summi sapientia patris,  
Ut male contractas a primo semine labes  
Purpurea elueret sacrati sanguinis vnda,  
Mortales clauso profugos ut ferret olymbo,  
Sacra prophanato diffudit lumina mundo,  
Tartareas pellens hominum de corde tenebras,  
Inq; vices varias diuersa in tempora signis  
Quæ captum superant humanæ mentis, adegit  
Suaue serenata in præcordia vulnus amoris,  
Illapsus primum præcelsæ virginis alio  
Quæ mox concepit nullo desemine prolem  
Viliaq; enixa est nono ad præsepio mense,  
Iam vix octauam lucem conspexerat infans  
Iam vix assumpta prima incunabula carnis  
Attigerat, cultros pellis cum cæsa cruentos  
Sensit, & hostiles aufugit principis iras  
Herodis, supero matrem puerumq; tueri  
Afflatu iussus Joseph, Nilotica tecta  
Perrexit, monitusq; iterum ad Iudæa reuerti  
Herode extincto, Galilæis adstitit aruis,  
Subditus interea peragit mandata parentum,  
Præcellitq; senes puer, & Salomonia templa  
Ingressus monuit, legisq; abstrusa reclusit,  
Mox docuit Solymos præclaræ munia vitæ  
Præconis tonitru, qui flumine mergier artus  
Suasit, & indignum Christi qui lora relaxet

Se vocat, & nitidè soluat sandalia plantæ  
Hinc vastæ latebras Christus perrexit eremis  
Multos passurus violenti dæmonis astus.  
Namque quater denos iam roscida Luna rotatus  
Egerat, & totidem magnum Sol aureus orbem  
Ambierat terræ, nec dum ieunia Christus  
Soluerat esuriens, cum se tentator operta  
Ingressit fraude, & lapides mitescere duros  
Præcipiteret blande stimulat, cui talia fatur.  
Nonne sacri referunt libris traducere vitam  
Non datur in dapibus, sed enim felicius illud  
Quod fluxit sacro, semel omnipotentis ab ore  
Perpetuam præstat ventura in secula vitam.  
Protinus hinc cælsæ vehit ad fastigia pinnæ  
Spiritus, atque illi rursum, si dia propago es  
Te tuto poteris summo de culmine templi  
Mittere, nancque extant de te mandata ministris;  
Ne forte ad lapidem offendas, cui talia reddit.  
Legiferi scitum Mosis, dominumque deumque  
Ne tentes, paucis pauefactus vocibus hisce  
Obriguit, veluti cum saeuo mœnia bello  
Impiger obsecrit multo conamine miles  
Actutum & chalybis percussus tempora glande  
Machina terrifico quam fulminat ænea bombo  
Sternitur, atque illi torpescunt frigore membra.  
Crudeles iterum versutus colligit iras  
Ac tristi obuersat fallendi pectore curas,  
Nubiferi ductum præcælso in culmine montis  
Collocat, & molli quondam regnata Dario  
Monstrat sceptra, Pharon, Libyes porrecta sub axem  
Regna, Tagum fuluam populis qui voluit harenam  
Et quicquid latis rerum tractabat habenis  
Roma potens, spondetque illi si poplite flexo  
Procumbat, contraque prefert diuina propago!  
Perfide discedas, soli seruire tonanti  
Est opus, in tenues momento euanuit auras.  
Post nucleus legis dirimens a cortice vulgo  
Præbuit, æternæ reserans compendia vitæ  
Dogmataque expungens scribarum mentis auaræ  
Semina, pontificum luxus, fastos acque secli  
Gaudia perstringens, phariseæ noxia turbæ  
Carpit fulcra, dolos retegit, prænuntia mortis  
Spargit verba suæ, non indignatus ab umbris  
Infernæ animas excire ad munia vitæ  
Reddere cognatis nutu, quæ functa sepulchris  
Corpora, quæ tristem dudum exhalare Mephitinæ  
Disiectæ placuit rursum connectere formæ  
Inuidia extemplo confatur maxima, nancque

Virtuti vitium bellat, diuina prophanis  
Confligunt, pugnat tumido clementia vastu  
Supplicium petitur, iusto de sanguine, poenæ  
Poscuntur, saeuæ condunt spectacula plebi  
Pontifices, tollit præses Romanus in altum  
Membra salutiferi transfixo stipite regis,  
Funditur innocuus toto de corpore sanguis  
Vbertim celebris mixto fluit vnda cruore  
Qua scelus antiquum, primæ ab origine mundi  
Eluitur, patriæ primæua piacula noxæ.  
Scilicet hūmani generis percussus amore  
Crudeles clausos, risus, atq; aspera flagra,  
Sputa, alapas, barbae vulsus, diramq; coronam  
Sentibus horrentem subiit, mortemq; fugare  
Morte crucis voluit, quæ te clementia Christe  
Ingratos nimium mortales, ferrea corda  
Ut morte eriperes, mortem perferre coegit:  
Ne rogo, ne summi collati muneris vncq;  
Infernī obrepant vesana obliuia somni  
Dicite fœlices animæ, quæ lucida templa  
Incolitis, quoties renouarit mystica lethi  
Signa sui, postq; sedes ferrugine nigras  
Inuisit, pulsisq; æterna luce tenebris  
Atq; catenato resolutis patribus hoste  
Sublimis superas Christus remeauit ad arces.  
Principio auratis confixit corda sagittis  
Corda virum sacri cætus, quæ viuida virtus  
Ardentis lingua in speciem penetrarat, & alnum  
Spirabant calefacta nimis præcordia Christum,  
Quem puro quondam sumebat turba fidelis  
Pectore sacratae celebrans conuiuia cænæ  
Scilicet immites hinc debellare tyrannos  
Exarmata valent flammanti pectora lingua,  
Hinc veteres fugitare dei trepidare se natus,  
Mirari attoniti sophiæ de plebe magistri.  
Mirari & vulgus cœpit, cum cresceret ardor  
Insolitus, numerumq; magis, quo saevior ira,  
Redderet innumerum tormentis percita cædes.  
Recludunt Stephano cœlum stridentia saxa,  
Vrentem moriens temnit Laurentius ignem,  
Innumere rigidam constanti pectore mortem  
Imbellis obeunt (res non audita) puellæ.  
Pollutas pueri læti obtruncantur ad aras,  
Inter mille neces fidei rutilantior ignis  
Fulgit, Callaicus veluti in fornacibus aurum  
Tum præses Syrijs feruens Egnatius agris  
Christigenas pascebat oves, Romanus abegit  
Miles, crudeli ducturus funera circo.

Sacra viri nimium formidant membra leones  
Tangere, ab innocuo cohibentes ora crux,  
Quem rigidissimis Traiani exauferat enī  
Protinus euulso (nam dirus pectore lictor  
Traxerat) inscriptum cordis spectatur Iesu  
Nomen honoratum, quod tristia tartata longe  
Formidant superae conspecta insignia dextræ  
Tempore iam ex illo, multum cum viuidus ardor  
Ferueret, inuidit dæmon transcendere cœlos  
Stelliger s hominem, quibus ille expulsus Auerni  
Horrendas subiit multa caligine sedes.  
Hinc satagit tristivt marcescant pectora luxu  
Crassetur vltis timidusq; nomismatis ardor.  
Despectent humiles vano vt turgentia fastu  
Stemmata, sed vicit Christus, superoq; calore  
Dispulit elatas erebi de nocte tenebras  
Hoste triumphato, ruit ille in tartara præcepit  
Sed magis infernus coluber cum sybila pressit  
Fallendi insidias viroso in corde volutat.  
Cum velut a rabida quam dira impellit edendi  
Ingluiuies, pastor commissa armenta Leæna  
Custodit, magis illa furit, licet improba fraudes  
Dissimulet, renouatq; latens in pectore bellum.  
Secius haud coluber simulata pace venenum  
Offundit, sed quis summi omnipotentis alumnos  
Fraudibus eripiat, placuit concire fideles  
Sæpius, atq; magis, quo frixit inertia mundi.  
Propterea Assyrius nimio calefactus amore  
Rettulit effossis flammantia stigmata membris  
Franciscus, pauper terris, ditissimus aula  
Principis ætherij, per rari signifer æqui  
Alter ab empyreis defluxit sedibus almae  
Virtutis custos, fidei seruator Hisberus  
Vtrinq; innumere, via sub veste catenulae  
Conscendere polos, fremuit perterritus Orcus  
Nec non & Siculus flamas emisit, & ille  
Conspicuus signis Picenæ gloria gentis,  
Olim foeminei sexus, & Tuscus & Vmber  
Monstrauere fidem, & gestata insignia, nec non  
Sulphurea Nar albus aqua, priscunq; reate  
Quid referam: sanctos monitus præconia crebra  
Sacrorum vatuum non exaudita prophanis  
Sed quæ inuisa malis, nuper demiserit audi.  
Dum Sol obliquum bissenis partibus orbem  
Supra, quindecies centum numerasset ab ortu  
Virginei partus, primæ trieteridis angum.  
Postremum voluens, labuntur mystica cœlo  
Res compertam ihi, vos aspirate, canentii.

Est regio Europæ gelido subiecta trioni  
Bellaces habitant populi, quos Romula pubes  
Vix domuit, toto q̄uis dominarier orbe  
Cooperit, & Latium iam formidaret Araxes  
Armenius Tybrim, Pharium & pepulisset Anubim  
Itala proiectos aluit, que belua fratres  
Illinc missavadis ingentia robora voluit  
Atq; sub aeris perlabitur alpibus Aenus  
Aenus cæsareis ardentia ligna caminis  
Ducturus, vasto populus dum Sbocius antro  
Effossum varios argentum promit in usus  
Hac Rhenus liquidū deuoluit fluminis vndam  
Gallica Germanis, qui separat arua Colonis  
Romani toties qui expertus militis arma  
Ingentes paruo Thybri supponere lymphas  
Pertulit, & Latiam vectare per æquora puppim,  
Oceanibido percellens vortice fluctus  
Hinc & Danubius non magnas deuehit vndas  
Montibus Arbonæ vix fusus, plurima nondum  
Flumina surripuit nondumq; Binomius, ingens  
Alluit Elysios, Ariosc & Pæonis oram  
Et Lygios, tandem rapto tumefactus aquarum:  
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum  
Extremumq; caput limosa perdit in vlua.  
Hic demissa recens populi mysteria, mirum  
Attoniti inspectant, homines, ac inanima passim  
Inscribunt puro delapsa insignia cœlo.  
Sanguinolenta Crucis, clari memoranda triumphi  
Effigies late spectat, spongia, flagra  
Visuntur tunica inconsutilis intima, clavi  
Cernuntur multo madefacti sanguine, telum  
Quod sacram sæuo discreuerat impete costam  
Pingitur, excubitor christa spectabilis ales  
Tergeminiq; micant tali, quos inclita Christi  
Iecerat innocui sortitus tegmina miles,  
Non ignota cano, Cæsar monstrauit, & ipsi  
Vidimus, innumeros prompsit Germania testes.  
Qua Rhenus tenui Rhetis ex Alpibus orsu  
Funditur, & maior suppositis influit aruis  
Compertum, viditq; lacus qui molle pererrans  
Muros piscesæ subiectos perluit vrbis  
Quos Constantini proles oriente subacto  
Occiduas repetens stellanti murice terras  
Condidit, & proprio signauit nomine, cuius  
Principis (vt perhibent) demissus sanguine Picus,  
Picus harenose genitus prope flumina Siclae  
Audijt & tumidi iam ditior accola Rheni,  
Quicq; lacu missus leni submurmurat vndas;

Mox alium præfertq; lacum, quo deniq; fusus  
Inde humilis, tumidusq; voraxq; euoltuitur, inde  
Plenus & exiguus, rectus, sinuosus in orbem  
Labitur, hinc sumptis Basileam diuidit vrbem  
Fontibus, ac vasto desertur gurgite, & alti  
Vorticibus magnis contingit tecta Brisachi  
Aduersam cæsaquæ nectunt abieta ripam,  
Noricus inspexit, torti audiuerre Sycambri,  
Audijt & Mario domitus per vulnera Cymber,  
Senserunt amnes, senserunt æquora longe  
Aequora torpenti glacie concreta sub axe  
Arctoo, propius conspexit Danubij fons.  
Spectarunt fortis ipsis sub mœnibus Vlmae  
Assueti contis fortis bellare Sueui,  
Et Phorcini Latiae donatus lumine linguae,  
Cui sacrum triplici celebratum dogmate nomen;  
Inspectant populi quorum confinia Cæsar  
Vastauit late viator, cum fusa Bohemus  
Agmina colligeret, nuper dum prælia miscet  
Confractis vires latura rebellibus, illinc  
Vangiones cernunt, latebrosa silentia siluae  
Herciniæ norunt, nouit perterritus Osus  
Osus Aranisco dubium deductus, an illo  
Hic genus antiquum referat, sub iudice lis est  
Vindelicus, Rhetus miratur, & aspera cæde  
Romani, tremuit quondam prouincia Vari  
Nec tam præcipiti formidine territus hausit  
Armorum sonitum quondam Germanus arator  
Nec sic expauit subitis cum motibus Alpes  
Intremuere, minus bellacis tempore Othonis,  
Pertimuit claro primum cum mystica cœlo  
Defluxere, iuuat lachrymas effundere, multæ  
Implorant veniam scelerum cum patribus vrbes  
Aeni concutitur pons, illius accola nudis  
Incedit pedibus celebrans amburbia, tantum  
Relligio potuit, minio color, & color atro  
Nonnunq; similis, sacris mantilibus ipsi  
Sanguineis rutilans maculis insigne triumphi  
Vidimus, Actæo confusum pene liquore  
Puniceo interdum fulgor certauerat Ostro  
Interdum fusi nigrantem nube coloris  
Permixtamq; crucem rubro spectauimus olim  
Nec morum discrimen erat, sacer atq; prophanus  
Iam conspersa sibi gestabant mystica, patres  
Conscripti & pueri, conscriptus sexus vterq;,  
Et templi & vestes, a summa Cæsaris aula  
Ad tenues vicos, ad dura mapalia ruris  
Cernere erat liquido deductum ex æthere signum

Purpurea exceptum tunica, quod ferre senator  
Formidat læuis & matrona perhorruit armo  
Quod stupuit trito positum centone colonus,  
Pauperis ad lychnum nati dum canabe pero  
Consulitur, teneras lacerent ne tristia plantas  
Constipata gelu, consertaq; vepribus arua  
Miraturq; sagi tenuato stamine miles  
Insculptum mortis vitali a sede trophæum  
Miraturq; simulq; pauet, qui vasa sacerdos  
Obnubit, celeri supra tectoria lapsu  
Aduentare cruces, & linthea pingere, pallet  
Spectator, densusq; redit formidine sanguis  
Ad fontem e riuis, titubantq; in pectore fibræ  
Nec non veloces ageret cum turbida lympha  
Præcipitata molas summo de vertice montis  
Atq; excepta rotis tereret frumenta minister  
Qui lassata vago stridore, & pondere facci  
Pollineq; inspersus, placido dari membra sopori  
Decernit, rubro sub tectis spargitur imbre,  
Olli per pectus, per crus, per colla, per aluum  
Sydereæ extemplo pingunt insignia guttæ  
Qz varij strepitus, qz dissona dogmata, quanti  
Pro sensu capitum vario mussare susurris  
Crediderim dominum cælsæ qui præsidet ard  
Olim longa sui potantem obliuia mundum  
Vidisse, & signis voluisse salubribus almæ  
Sæpius (vtq; alias) excire ad limina lucis  
Quandoquidem fontes inferno sustulit antro  
Tartareus princeps furias, scelerumq; cateruas  
Immisis stygij reserantes abdita fontis  
Cuius mortifero dudum tenebrosus hiatu  
Aera tabificum fumus prætexuit, inde  
Angusta occulitur cœlestis sœmita vitæ  
Inde crucis miseros vesana obliuia tentant;  
Hinc regina mali forte indignata sinistris  
In cædes & bella ruit sitibunda cruoris.  
Præcurruntq; rotas scisso discordia crine  
Successus bellii si forte arriserit, illinc  
Ambitio erumpit rebus tumefacta secundis  
Tumq; infrenis amor lucri, tum lurida gliscit  
Ingluuiies, studioq; omnes excerpta per artus  
Spurca Venus, lassis nimium que viribus hausta,  
Et parit ignaos animos, & torquet atroci  
Inuidia, & partos disperdit prodiga census.  
Sic septemplicibus crassatur perdita vinclis  
Belua multorum capitum, quibus impete sæuo  
Deiectam legimus quondam Babylona superbam;  
Quam, nec crudeli populasset milite Cyrus


Nec centum crebro nutassent arietē portæ,  
Nec genesis falso lusisset dogmate mendax  
Stellarum varijs intentus cursibus augur  
Ni prius hostile s̄ haussisset perfida mores  
Quos noster, pudet heu, iam dudum accersit orbis.  
Quosq; recens Babylon haustos cumulatius ambit  
Sed nec tam tumidam vītrix te græcia quondam  
Reddiderant cæsi Marathonis in æquore Persæ,  
Non delusa Rhodo, tergo non fulta Platonis  
Non Demosthene raptata volumina linguae,  
Neve Stagyreo motu peruecta tonantis  
Ad solium, tanto pereuntis ludicra famæ  
Aut studio aut plausu quondam deposcis inani  
Qz nunc imbellis laudum mentita trophæa  
Otentant fastū, qz plebs ignara tumescit.  
Mollitiem subde & luxus quos prisca Tarenti  
Fama reformidat, quos nescit Apicius, odit  
Atq; Philoxenium guttur, quos reiçit ille  
Qui sceptro indignus tractauit serica pensa,  
Et Sibaris parç spernens obsonia mensæ,  
Sed quid Achemenijs quæsitam regibus olim  
Immanem Venerem (pudet heu memorare) pphani  
Nomine damnantur, qui non admiserit, omnes  
Quotquot collegit vitiorum Roma cloacas,  
Assyrium Tiberi cum iam admisisset Orontem  
Mox proprijs opibus, proprijs ruitura sub armis,  
Iam dudum excipiunt, insultant Maurus & Afer  
Aegyptus, Libye subsannat, Thracia ridet  
Nec fidei monitis auscultant, vincimur ait, in  
Colluuius scelerum, vitiorum fœtida nubes  
Hinc illuc pridem migravit, perfida turba  
In Christum laxant impune repagula, nobis  
Non impune datum, si Christum lingua lacestat,  
Virginis & nomen, nobis non spernitur almæ,  
Sed nec sacra dei nobis, nec templa, nec aræ  
Venduntur, dominis quo tandem cernimus usq;  
Insultare canes, purgemuſ noxia, rectum  
Firmemus, nostris opus est indicere bellum  
Moribus imprimis, mox bella inferre prophanis,  
Scilicet incassum patiemur mystica cœlo  
Delabi, aut veteres tantum effudisse cruoris  
Sacratæ fidei proceres, aut deniq; Christi  
Nil nobis prodesse necem patiemur amaram  
Subiectos populos compescas inclyte Cæsar  
Avitijs neq; enim tantas regnator olympi  
Virtutes & opes tibi contulit, ut tibi tantum  
Prodesse, cælsæ rarissima munera dextræ,  
Donare recognoscas fortis cælestia Cæsar

Sopitam turbis sacrato pollice barbam  
Vellere ne pigeat, tua sunt hæc munia Cæsar  
Stringere constantis fidei pro legibus ensem,  
Insculptaq; cruce infidos Maomethis alumnos  
Pellere, quæ tibi sunt iam tradita desine Cæsar  
Alter ut insumat, te contemnente, ministri  
Christo non desunt, reges, nec tempora desunt  
Ut mores abigat Sathanus impellente nefastos,  
Et crucis imperium longe lateq; propaget.  
Tu dudum lectus, nunc inuitatus, ad altos  
Dirige (ne pigeat) fœlicia carbasa portus  
Non deerunt equites, non instrumenta, fideles  
Ad sunt Italiæ populi lectissima pubes  
Viribus indomitis, instructas ecce phalanges  
Tormenta, & celebres præstat Germania currus  
Et neruos belli, fauor ingens cœlitus, idem  
Quo fretus iam pene puer certamine Gallos  
Contundis latio, nec dum diadematæ frontem  
Coniectus, multosq; domas, gens effera nuper  
Rettulit arctos inflictum vulnus in axes  
Iam metuuntq; Getæ, metuit quoq; Mauros ut olim  
Fugerat eos indignabundus in ortus  
Emonijs equitum cuneus discinctus ab oris,  
Dum Charolus bello iam Parthenopæa subiret  
Mœnia magnanimis qui mox succumberet orsis.  
Cuius nec gessis Byzantia turba Sarissas  
Duxisset contra, refluus quoq; Bosphorus vdas  
Veliuolam classem Thracum excœpisset in vlnas.  
Ter seruum Memphis iure indignata tyrannum  
Cessisset Pharium velamina tortatiaram.  
Nunc Aquila expertitur rutilum quæ insigne triumphi  
Per Tanaïm, Nilum, calidæ per rura Syenes  
Perq; Arabum campos, ambustaq; solib; arua  
Vectet ad auroræ populos, ad ditia regna.  
Sed vereor Cæsar, veterine quassa timore  
Occiduum turbet subitis incursibus orbem  
Hostica gens fidei, veluti cum percita voce  
Euigilant nudo, meditantur prælia dente  
Turba canum, surdis si forte irritibus hostem  
Nil arcent, nec baubatus effundere vanos  
Contulit, insultum expediunt, quo territus hostis  
Horreat, inq; illum possit formido referri  
Rumpe moras, præstan videat Gangeticus armis  
Cæsaris excindi, Persas, non spernere Hydaspem  
Aut Hypanim, pontes, patrios nec visere saltus  
Donec odoratos alacer concenderit Indos.

FINIS.

lim  
a  
oris.  
as  
nas.  
m  
riumphi

ostis  
m's  
em  
is



riete portæ,  
 nate mendax  
 pus augur  
 fida mores  
 idum accersijt orbis,  
 s cumulatius ambit  
 e græcia quondam  
 in æquore Persæ,  
 fulta Platonis  
 lumina linguæ,  
 tonantis  
 licra famæ  
 n deposcis inani  
 tita trophæa  
 tumescit.  
 prisca Tarenti  
 Apicius, odit  
 s reñcit ille  
 serica pensa,  
 hia mensæ,  
 n regibus olim  
 u memorare) pphani  
 admiserit, omnes  
 oma cloacas,  
 isisset Orontem  
 uitura sub armis,  
 t Maurus & Afer  
 hracia ridet  
 ncimur aiunt,  
 etida nubes  
 fida turba  
 agula, nobis  
 m lingua lacestat,  
 pernitur almæ,  
 pla, nec aræ  
 em cernimus vſq;  
 a, rectum  
 cere bellum  
 nferre prophanis,  
 stica cœlo  
 disse cruoris  
 iq; Christi  
 mur amaram;  
 inclyte Cæsar  
 or olympi  
 tibi tantum  
 era dextræ,  
 a Cæsar

